

ut tractet negotium alterius perinde ac si esset proprium ipsius mandantis. 2°. Vel quis mandat pertractari negotium alienum ratione officii quo adstringitur erga patrimonium alienum. In 1°. casu si vires patrimonii alieni impares sunt ad solvendas expensas, mandans de proprio supplere tenetur *LL. 2. et 6. ff. Mandati*. In 2°. hypothese mandans de suo non tenetur ex. gr. si mandans uti tutor, administrator, vel executor testamentarius commiserit procuratori aliquod negotium in iudicio vel extra tractandum, expensas solvet non ultra vires patrimonii pupilli, hæreditatis etc. Ratio est quia procurator debebat agnoscere vires patrimonii, et ceteroquin sciebat mandantem negotium commisisse tutorio, administratorio etc. nomine. Hinc sibi tribuat, si nimias fecerit expensas, quas recuperare nequit.

18. De rebus gestis ab eo qui procuratoris officium immerito sibi vindicat. — Præter verum procuratorem etiam falsus dari potest procurator, qui nempe vel nullum mandatum habuit, vel quod habuit revocatione viribus destitutum est. Porro revocatio mandati ut ipsum mandatum iudice destruat, debet esse procuratori intimata; secus enim ipse prosequitur acta sui officii, nullo jure obsistente *c. 33. de Rescrip. c. 3. h. t. et Clem. un. de Renunc.* Excipi tamen debet mandatum ad contrahendum matrimonium, cujus revocatio irritat contractum, quamvis ignoretur a procuratore et ab alia parte contrahente *c. ult. h. t. in 6.* Excipiunt DD. etiam illos casus in quibus non sufficit consensus præteritus aut fictus seu legalis, sed requiritur verus et perseverans. Ex. gr. si ageretur de mandato ad suscipiendum infantem in baptismo, seu de contrahenda cognatione spirituali. Porro revocatio mandati judicialis non solum procuratori, sed si lis fuerit contestata, intimari etiam debet iudici aut adversæ parti colliganti, secus acta eum procuratore revocato valent *cc. 4. et 13. h. t.* Idem vero dicendum est etiam de procuratore designato ad pertractandum negotium peculiare cum determinata persona. Hoc enim in casu dominus principalis quemadmodum huic personæ notum fecit mandatum procuratoris ad negotium gerendum, ita etiam intimare seu significare debet revocationem mandati. Si omittatur hæc intimatio, res gestæ cum procuratore valent, ex. gr. solutio debiti *L. Si quis servo ff. de solution.*

19. Peculiari mentione digna est dispositio *Clem. un. de Renunc.* In hac constitutione quæritur utrum valeat renunciatio

beneficii vel prælaturæ facta per procuratorem cujus mandatum revocatur, sed revocatio deducta non est ad notitiam procuratoris, vel Superioris excipientis renunciationem; et Clemens V. respondet, valere, dummodo ex malitia eorundem aut etiam aliorum factum fuerit, quominus saltem ad alterutrum notitia revocationis mandati non pervenerit. Ex quo capite hoc principium eruit Glossa: in mandato nempe ad renunciandum beneficio paria sunt notificatio revocationis, vel si stetit per procuratorem vel per alium, quominus revocationis notitia ad eum vel ad superiorem veniret; nec in renunciatione hujusmodi requiritur proprie dicta intimatio revocationis facta procuratori, sed sufficit etiam ut aliunde certior factus fuerit procurator de revocatione ipsa; ex. gr. si extraneus ostendat procuratori instrumentum in quo revocatur mandatum.

Hiscæ positis supponamus, aliquem vel nullo mandato prorsus accepto, vel ex mandato ob legitimam revocationem viribus destituito aliquid egisse procuratoris nomine. In genere hoc servatur principium ut scilicet acta per falsum procuratorem non valeant *c. 3. h. t. et c. 33. de Rescrip.*, valeant vero et sustineantur si ea rata habuerit dominus principalis, quæ ratihabitio ad initium negotii retrotrahitur *L. 56. ff. de Judiciis*. Quod si vero dominus principalis omiserit rata habere gesta per falsum procuratorem, exceptione adversæ partis eliduntur. Hæc exceptio opponi potest sive ante sive post sententiam *c. 4. h. t. fin. et L. 24. C. h. t.*

#### TITULUS XXXIX.

#### D e S y n d i c o .

1. Syndicus est qui ab aliqua universitate vel collegio constituitur ad negotia pertractanda et præsertim ad lites et causas in iudicio peragendas. Ex quo patet Syndicum differre a procuratore in eo solum quod procurator a privatis constituatur, syndicus vero ab universitate vel collegio. Differt ab œconomio vel administratore, eo quod hic ad pecuniam aliaque negotia extrajudicialia administranda destinatur, syndicus vero præsertim ad lites datur. Differt ab actore; actor enim ad certam causam designatur, Syndicus vero ad universitatem causarum. In jure vero actor et Syndicus sæpe confunduntur.

2. Syndicus esse potest quicumque a procuratoris officio assumendo non prohibetur. Hinc potest aliquis eligi sive de gremio



universitatis, sive extra gremium; potest esse etiam laicus in causis spiritualibus in sensu supra in tit. de Procurat. exposito. Quod si vero sermo sit de Regularibus, potest quidem uti vidimus in cit. tit. ex licentia superioris vir religiosus esse procurator ad unam vel aliam determinatam causam, non potest vero esse syndicus neque sui monasterii *c. un. h. t.* ne litibus et occupationibus forensibus a spiritualibus negotiis distrahantur religiosi homines. Excipit vero Abbas in *c. un. h. t.* casum necessitatis, cum nempe alius constitui non possit, quo in casu etiam monachus non prohiberi dicendus est a susceptione officii Syndici *arg. c. 16. de testib. et c. 16. de Judic.*

3. Cum vero Syndicus ab universitate constituatur, ejus electio est actus collegialis; hinc omnibus vocatis qui suffragii jus habent, et præsentibus duabus tertiis saltem partibus eorum, ille censeatur electus, in quem convenerit major pars præsentium. Quæ electio regulariter in instrumento authentico describitur, additis subscriptionibus saltem officialium universitatis, et sigillo ejusdem. At hæc omnia locorum consuetudo moderatur.

4. Potestas syndici æquiparatur potestati Procuratoris generalis cum libera. Officium ejus est ut utilitatem universitatis legitimo modo procuret. Hæc vero potestas et officium finitur eisdem modis quibus finitur potestas et officium procuratoris. Cum vero, deficientibus singillatim membris, universitas perseveret, non censetur cessare officium et potestas Syndici deficientibus illis qui eundem designaverunt.

#### TITULUS XL.

##### De iis quæ vi metusque causa fiunt.

1. Post personas quæ judiciis intersunt, sequitur tractatio de iis quæ præparant materiam secundi libri, qui de Judiciis agit. Inter hæc locum tenent vis et metus, ex quibus multum pendet valor juridicus actionis.

2. Vis ex *L. 2. ff. quod metus causa* communiter definitur impetus majoris rei, cui resisti non potest. Vis si absoluta sit, tollit prorsus voluntarium, ac proinde excludit actum humanum. Cum is qui sub vi absoluta agit, non agere sed potius pati videatur *c. 5. h. t.* hinc actus ex vi positi juridicum effectum non habent, nec ulla obligatio exinde contrahitur. Quare qui coactus

communicat cum excommunicato, non incurrit pœnam excommunicationis minoris *cit. c. 5. h. t.*

3. Relate vero ad eum qui vim passus est in bonis fortunæ specialis est dispositio *c. ult. h. t.* Hoc caput ita summatur: 'Probata violentia per testes, res amissæ probantur per juramentum. Et super valore rerum amissarum taxatione judicis præmissa, et secuto petentis juramento, fit condemnatio'. Scilicet in capite sermo est de quodam qui in rebus passus fuerat violentiam, et in judicio probaverat violentiam per testes. Verum hæc probatio res ipsas ablatas non amplectebatur. Judex ergo detulit ei juramentum supra numerum et qualitatem rerum ablatarum; deinde pro conditione et qualitate personarum ac rerum ipsarum æstimationem taxavit et valorem earundem rerum, ac delato juramento violentiam passo super justitia factæ taxationis, tulit sententiam contra eum qui violentiam intulerat, eundem condemnans juxta taxatam æstimationem a juramento partis læsæ confirmatam. Gregorius IX. ratam habuit hanc sententiam. Ex quo capite hoc inferri potest principium. In casu rerum ablatarum per violentiam si per legitimam probationem constiterit de illata violentia, ad probandum quæ et quales fuerint res ablatæ, in defectu probationum, sufficit juramentum illius qui passus est vim, æstimatio autem seu valor rerum ipsarum taxatur prudenti arbitrio judicis, et si taxatio hæc confirmetur per juramentum a parte quæ vim passa est, altera pars condemnatur ad damna reficienda juxta taxationem hujusmodi. Hæc satis de vi.

4. *De Metu.* — Metus ex *L. 1. ff. de eo quod metus causa etc.* definiri solet 'instantis periculi vel futuri causa mentis trepidatio'. Ex qua definitione consequitur, actus elicitos sub influxu metus procedere a voluntate quamvis trepidante. Scilicet quamvis agens secluso metu, nolisset actum ponere quem ponit, tamen revera vult id quod agit. Metus enim absolute non tollit iudicium mentis. Hinc patet rationabilitas communis principii. Nempe ea quæ sub metu aguntur, sunt voluntaria simpliciter, licet involuntaria dicenda sint secundum quid.

5. Divisiones metus. — Metus alius dicitur ab intrinseco, alius ab extrinseco procedere. Primus locum habet cum quis timet ob causam necessariam independentem ab alieno arbitrio ex. gr. ob periculum naufragii, ob periculum inferni, vel alterius rei hujus generis. Ab extrinseco autem est metus, qui a causa libera, sci-



licet ab homine incutitur. — Hic vero incutitur vel directe ad extorquendum aliquem actum, vel simpliciter, qui dicitur etiam indirecte incussus. — Uterque hic metus, sed præcipue metus directe incussus alius ex justa causa et legitime incutitur, et dicitur juste incussus, ex. gr. metus quem iudex incutit per comminationem pœnarum; alius ex injusta causa aut illegitime, et dicitur injuste incussus. — Tandem alius levis, alius gravis dicitur, et rursus alius gravis absolute, alius solummodo relative. Primi et secundi generis elementa sunt damnum per se inspectum et periculum damnum subeundi pariter per se inspectum; tertii generis idest metus relativi elementum etiam est respectus ad personam cui metus incutitur, quæ ob specialem indolem vel conditionem præ aliis vividiorum experitur gravitatem damni et periculi. Hinc metus gravis ille dicitur qui cadit in constantem virum qui proprie tunc concipitur a viro forti et prudenti, cum damnum est grave, idest magni momenti, ex. gr. mors, mutilatio, vincula, gravis jactura bonorum et famæ si de honorato homine sermo sit, etc., et cum periculum prudenter et moraliter urgere dignoscitur. Si alterutrum desit, metus non amplius dici potest absolute gravis. Metus vero relative gravis determinatur in particulari, cognita indole et agendi ratione illius qui metum patitur et illius etiam qui metum incutit.

6. Prima quæ proponitur quæstio respicit valorem juridicum actuum sub influxu metus positorum. Plura damus criteria. Primum criterium. Actus positi sub metu intrinseco etiam gravi valent, et obligationem sive moralem sive legalem et canonicam pariunt; nec rescissioni subjiciuntur *c. 17. De Regular.* Hinc votum ex metu naufragii aut mortis imminenti elicitum, servandum est. Porro validitas actus eruitur ex eo quod voluntarium perseverat sub metu, et per consequens etiam sub influxu metus actus naturaliter valet et capax est inducendi obligationem. Irrescindibiles vero sunt actus hujusmodi, tum quia per metum nulla injuria personæ irrogatur, tum quia nullo jure rescissio actuum istorum conceditur.

2<sup>um</sup>. Criterium. Actus editi sub metu levi sive directe sive indirecte incusso, sive justo sive injusto valent, nec rescissioni subduntur. Facile enim contemni potest metus levis. Ad rem facit *c. 6. h. t.* quo in capite Canonici insularum obligantur ad observandam regulam cisterciensem, ad cujus observantiam se obstrin-

xisse asserebant ex metu, qui vero metus levis fuerat et facile superandus.

3<sup>um</sup>. Criterium. Actus emissi sub metu gravi extrinseco injuste incusso, et directe ad extorquendum actum in genere sunt jure validi, sed rescindibiles ad partis læsæ querelam. Quidam vero actus sunt ipso jure nulli. In genere actus sub metu gravi etc. sunt validi; nam et naturaliter subsistunt per voluntatis determinationem, quæ a metu non tollitur, et ministerio legis non irritantur *cc. 2. et 5. h. t.* Possunt vero rescindi ad partis læsæ querelam ob injuriam quam ipsa subiit. Quæ injuria cum locum non habeat ullo modo in metu juste incusso, nec saltem relate ad actum qui emittitur in casu metus non directe incussi ad extorquendum actum, hinc validi sunt nec rescindibiles actus elicit sub metu, qui vel juste sit incussus, vel non incussus ad extorquendum actum.

7. Diximus, in genere actus sub metu gravi injusto et ad extorquendum actum incusso esse validos, at rescindibiles. Nam quidam actus vel contractus sub tali metu positi sunt ipso jure nulli. In istis actibus jus voluit plenissimam libertatem. Hinc metus gravis injustus et directe incussus ad extorquendum consensus, ex intentione juris inducere dicendus est defectum in ipsa substantia actus. Quare actus sub influxu hujus metus positus, ceu deficiens in substantialibus, nullus est ipso jure. Præ primis inter istos actus ipso jure nullos recensetur contractus matrimonialis, qui omni libertate gaudere debet, ob effectus funestos, qui ex matrimoniis coactis sequuntur. Porro non desunt Theologi qui cum S. Thoma *in 4. dist. 29. q. 1. n. 5.* docent nullitatem matrimonii in hypothesis metus gravis etc. ab ipso jure naturali procedere. Certum tamen est, hanc nullitatem agnosci ab ecclesiastico jure, prout evincitur ex *cc. 14. 15. et 28. de Sponsal. et Matrim.* An eadem dispositio etiam ad sponsalia extendenda sit, vel non, controvertitur. Verior autem sententia est negativa, quia Canones solummodo de Matrimonio loquuntur. 2<sup>o</sup>. Professio religiosa emissa sub metu gravi etc. nulla est ipso jure *c. 1. h. t.* Cui consentit sanctio Conc. Tridentini *in sess. 25. de Ref. Reg. cc. 16. et seqq. ad 19.* Hanc dispositionem juris *arg. c. 1. h. t. et can. Non est, c. 15. q. 1.* extendunt ad quodcumque votum in alia materia. Nam, ut ait cit. Can. *Non est*, voluntarium sibi militem eligit Christus. — 3<sup>a</sup> species excepta est promissio tradendi, vel ipsa traditio rerum ecclesiasticarum sub metu etc. quæ non tenet ipso jure



immo licet promissio vel de tradendis vel de non repetendis iisdem rebus ecclesiasticis fuerit juramento firmata, tamen hoc in casu nec ipsum juramentum ullam vim habet *can. 1. 6. caus. 25. et c. 2. de Jurejur.* — 4<sup>o</sup>. Absolutio a censura cujuslibet speciei et revocatio sententiæ qua inflictæ fuit, si metu extorqueantur, nullius sunt roboris ipso jure *c. un. h. t. in 6.* Hisce casibus jure canonico statutis solent auctores adjungere quosdam ex jure civili depromptos. Qui præcipui sunt 1<sup>o</sup>. Auctoritas tutoris per metum extorta *L. 1. ff. § ult. de Auctor. tutor.* 2<sup>o</sup>. Contractus dotis promissæ vel solutæ ex metu gravi etc. initus *L. si mulier ff. h. t.* 3<sup>o</sup>. Jurisdictio per metum gravem obtenta *L. 2. ff. De Judiciis.* Pariter 4<sup>o</sup>. idem dicendum de sententia judicis sub metu gravi etc. *Can. Injustum c. 11. q. 3.* — 5<sup>o</sup>. Testamentum. Ita Abbas in *c. 2. h. t. n. 16.* et probatur *arg. L. Qui testamento 20. § ult. ff. de Test.*

8. Quæritur: Quid dicendum est, si actibus sub metu positis accedat juramentum? Respondeo: Certum in jure est, jusjurandi religionem actus nostros firmitate sua roborare, ac juramentum plurimi fieri in utroque jure. Quid ergo si actibus ex metu gravi externo injuste incusso et directe ad extorquendum actum accesserit juramentum? In jure civili prævaluit principium, fraudem nempe vel dolum nemini patrocinari debere, ac proinde jusjurandum extortum ex metu nullo modo valere, idest nullam adjungere firmitatem actibus, quos reprobat jus. Si quæstionem in sensu canonum inspiciamus, habemus principium expressum in *c. 28. de Jurejur.* ut scilicet juramentum servandum sit quoties non redundet in præjudicium tertii, nec vergat in præjudicium salutis æternæ; idest quoties ejus observantia non includat peccatum. Ex hoc principio videtur sequi conclusio, ut nempe actus sub metu positus licet juridico valore careat, valeat tamen si fuerit juramento firmatus, dummodo ex valore actus præjudicium tertii non sequatur, nec sequatur damnum salutis æternæ. At etiam aliud principium obtinet, juramentum scilicet considerari tanquam accessorium, quod sequitur naturam actus cui accedit. Ex quo principio contraria priori descendit consecutio, nullius scilicet esse valoris juramentum actibus accedens ex metu gravi emissis, quos lex ipsa reprobat. Ut hæc duo componantur, distinguendum est inter actus nullos ipso jure, et actus qui de jure valent, sed rescinduntur judicis ministerio. Profecto si contractus vel actus cui accedit juramentum sit ipso jure nullus eo quod sub metu gravi positus est, etiam jura-

mentum nullius valoris est censendum, idest quemadmodum actus fuisset nullus absque juramento ita etiam nullus est si accesserit juramentum. Sanctitas enim juramenti non potest confirmare quod nullimode juridice existit; interest insuper quorundam actuum plenissimam libertatem tueri. Exemplum manifestum habemus in *c. 2. De eo qui ducit in matrim. quam etc.* de contractu matrimonii ex metu gravi inito. Quod de matrimonio dicitur, applicari etiam debet aliis actibus seu contractibus sub metu initis et ipso jure nullis, præsertim quia actus qui a jure canonico irritantur ex capite metus, ob rationem boni publici ceu nulliter positi habentur. Unde ad rem facit etiam theoria eorum Doctorum, qui tenent, juramentum vires non addere illis actibus, quos lex irritat non in bonum privatorum, sed ob rationem boni publici.

9. Quod si sermo sit de actibus sub metu gravi positus, qui ipso jure valent, sed rescinduntur ministerio judicis, et iisdem adjungatur juramentum, hoc in casu servandum est juramentum, nisi vergat in præjudicium salutis æternæ, vel nisi redundet in præjudicium tertii. Scilicet rescindibilitas actus inducta præsertim ad reparandam injuriam, tollitur, et qui juramentum emisit censetur renuntiasse juri suo petendi rescissionem actus. Quare renunciatio beneficii per metum facta cui accessit juramentum, servanda est ratione juramenti *c. 8. de Jurejur. et c. 3. h. t.* At servari non debet juramentum, seu non valet, quando vergeret in præjudicium salutis æternæ. Juramentum enim esse non potest vinculum iniquitatis. Nec pariter quis potest religionem interponere in damnum aliorum. Hinc in *c. 13. de Major. et Obed.* non valere dicitur juramentum Episcopi emittendi professionem observantiæ et obedientiæ coram Metropolitano, quæ professio adversetur juribus Ecclesiæ suffraganeæ.

10. Quamvis vero valeat juramentum adjectum actibus sub metu gravi positus et jure validis, tamen duo possunt animadverti: 1<sup>o</sup>. Juramentum hujusmodi esse strictæ interpretationis. Hinc servanda sunt ea solum quæ sub juramento promissa sunt. Quare ex. gr. qui promisit renunciare, non excluditur posse repetere beneficium *c. 4. h. t.* Quare si renunciavit sub juramento ex metu gravi elicito non impeditur quominus si eligatur, iterum beneficium assumat.

11. 2<sup>o</sup>. Qui juramentum edidit sub metu, assequi facile potest ab auctoritate Ecclesiæ dispensationem, atque inde agere poterit



pro rescissione actus. Facile autem conceditur hæc dispensatio *c. 8. de Jurejur.*

12. De remediis a jure concessis metum passo. — Quidam actus sub metu gravi positi, ut vidimus, sunt nulli ipso jure, quidam vero rescinduntur ex judicis sententia. Si sermo sit de actibus primi generis, is qui metum passus est ut liberetur ab obligationibus derivantibus ex actu a se posito, requiritur saltem quoad forum externum judicis sententia, quæ factum incussi metus declaret; idest requiritur sententia declaratoria qua metum passus dicitur immunis ab omni vinculo positi actus. Hæc vero sententia declaratoria requiritur ad vitandos abusos, qui facile locum habere possent hac in re ex parte eorum qui vellēt susceptis obligationibus sese eximere, incusantes passos timores. Hinc merito in foro externo actus validus censetur quousque contrarium non fuerit probatum. Quemadmodum ex. gr. in matrimonio verificatur.

13. Si sermo sit de actibus secundi generis sub metus influxu positus valet principium juris, quod nempe 'multa per patientiam tolerantur, quæ si fuerint in forum deducta, debent justitia exigente cassari' *c. 18. De Prob. circa fin.* Et quidem *justitia exigente*; nam justum est, eum in pristinum restitui qui ex injuria aliquod onus suscepit. Hinc rescindi possunt ad querelam partis, quæ metum passa est. Sed duplex casus fingi potest: 1<sup>o</sup>. Si qui metum passus est velit actum vel contractum consistere; 2<sup>o</sup>. si velit illum non valere. In primo casu actus vel contractus servandus est. In secundo casu duplex remedium datur metum passo, idest vel actio vel exceptio, quæ appellatur *Quod metus causa*. Exceptio conceditur quando is qui metum incussit instet ut contractus vel promissio servetur. Actio autem *Quod metus causa* conceditur cum metum passus aliquid fecit vel dedit, ut irritetur quod fecit et reddatur indemnus.

14. Ut vero tum in 1<sup>a</sup>. tum in 2<sup>a</sup>. hypothesi qui metum in sui favorem allegat, opportunum remedium experiri possit, necesse est ut metum probet. Metus enim cum procedat ex facto criminoso alterius personæ, præsumi non potest. Attamen præsertim quando agitur de metu relative gravi, non semper possunt probationes afferri luce meridiana clariores. Agitur enim de ostendenda trepidatione animi, quæ non semper sufficienter manifestatur. Igitur ubi desit factum evidens incussi metus, ex. gr. comminatio mortis vel alterius gravis et instantis mali, quæstio resolvenda

est ex conjecturis proximis et concludentibus, quæ animum judicis moveant, eique suadeant metum gravem revera incussum fuisse. Unde res maxime pendet ex prudenti arbitrio judicis, qui conjecturis et adjunctis proprium valorem et pondus tribuere debet. Porro Menochius *De Præsumption. Lib. 3. Præsumpt. 126.* plures indicat conjecturas ad metus incussi existentiam demonstrandam. Præterea si sermo sit de actibus, qui metus purgationem admittunt, is qui metum allegat, probare debet metum per ratihabitionem non fuisse purgatum, ceu in terminis docet *c. 1. h. t. circa finem.*

## TITULUS XLI.

## De in integrum restitutione.

1. Cum plura in judiciis intervenire possint, quæ eorundem pervertunt rigorem et justitiam, et viam aperiunt damnis et ruinis alterutrius litigantis; hinc æquitate prætoria inventum est remedium extra-ordinarium restitutionis in integrum, quo qui læsionem passus est, restituitur in eum statum in quo versabatur ante læsionem. Porro restitutio in integrum non solum conceditur contra sententias judiciales læsivas, sed etiam in negotiis extra judicium gestis. *Clem. un. h. t.* Definitur vero restitutio in integrum 'remedium extraordinarium juris quo ministerio judicis ob læsionem res in pristinam reducuntur conditionem in qua fuerant ante ipsam læsionem' *c. ult. h. t.* Dicitur vero remedium extraordinarium quia conceditur in subsidium mediorum ordinariorum, cum nempe nulla suppetat actio vel exceptio a lege tributa *L. 17. § 1. ff. De Minorib.* Conceditur insuper propter læsionem. Læsio in casu est læsio gravis, idest alicujus momenti; de minimis namque non curat prætor, ceu notatur in *L. Scio illud. ff. de restit. in integr.* Non autem debet esse enormis, idest quæ sit ultra medietatem justi valoris, nec enormissima, idest quæ binas tertias partes ejusdem veri valoris excedat. Nam utroque in casu ordinarium adest juris remedium, scilicet vel rescissionis aut debitæ compensationis juxta *L. 2. Cod. de rescind. vendit.*; vel declarationis nullitatis ob deficientiam substantialem justitiæ commutativæ, quæ verificatur in casu læsionis enormissimæ; quo in casu actus est ipso jure nullus, eo quia cum partes non præsumantur intellexisse quod agebant, consensus legitimus defecisse censetur. 2<sup>o</sup>. Ad concedendum hoc